

poris contactu in maritum translatum fuisse. Verum non videtur ex allegato textu, quod volunt sequi. Etenim in dotem quoque data dicuntur, quæ non protinus tradita sunt, sed doti tantum destinata, L. 14. *Et seq. de Jure dotium.* & cur prædium dotale constitui minus recte dicitur, quod mulier instrumento dotali profiteatur, se in dotem dare, quam ususfructus, & jura prædiorum constitui dicuntur pactionibus & stipulationibus? §. 1. *usufr.* & §. ult. *de servit.* sed & jus vindicandi marito competere potest, nondum translato rei in dotem datæ dominio, cessione videlicet actionis, *argum. L. ult. Cod. de Hered. Vend.* quam in L. 16. *de fund. dot.* in dotem datam omnino credibile est, cum ipsam rem tradere, quam alter possidebat & tenebat, mulier non potuerit. *Vinn. ad §. 40. Inst. de R. D. num. 3.*

Th. XI.

Non sufficit verò traditio vacuæ possessionis, sed titulus quoque exigitur, qui causa possessionis dicitur *pr. de usucap. L. 5. 6. C. de acq. poss.* Cum causa sit, cur possideamus, vel quod potius occasionem traditionis præbeat *Borchold. de acq. poss. cap. 6. num. 2.* Et quancunque traditionem antecedere debeat, sive sit corporalium
sive